

nequeat. Idem si in alto mari naviges, nec ullum habeas horologium, durationem quidem diei unius, aut noctis animadvertes, neutrum tamen numerabis unum, enim numerationis principium, non autem numerus est. Duratio ergo, et permanentia, motui, et statui communis, vera temporis est essentia; quanvis nemo horas, aut dies enumeret circutionis Solis terræ quoque perpetuus status, non minus perdurat, quam cœlesti, seu quivis alius motus duret, et tenebræ in eo carcere stent, statusque earum perseverat, et durat. Tempus ergo aliud non est, quam μωνή, permanentia, et duratio corporum, rerumque corporearum. Tempus autem ab ævo, seu æone. Aristoteles quoque distinxit. Quod tamen interpretes eius omnes, videntur ignorasse. Habet enim ipse verba hæc.

Ἐξω δὲ τοῦ οὐρανοῦ, δέδεικται ὅτι οὔτ' ἐστὶν, οὔδ' ἐνδέχεται γενέσθαι σῶμα. φανερόν ἅμα οὔτε τόπος, οὔτε κενόν, οὔτε χρόνος ἐστὶν ἕξωθεν. διόπερ οὔτ' ἐν τόπῳ τ' ἀκεῖ πέφυκεν, οὔτε χρόνος αὐτὰ ποιεῖ γηράσκειν, οὔδ' ἐστὶν οὐδενός, οὐδεμία μεταβολὴ τῶν ὑπὲρ τὴν ἐξωτάτω τεταγμένων φορᾶν. ἀλλ' ἀναλλοίωτα, καὶ ἀπαθῆ τὴν ἀρίστην ἔχοντα ζῶην, καὶ αὐταρκεστάτην, διατελεῖ τὸν ἅπαντα αἰῶνα.

“Extra vero cœlum, demonstratum est quod neque est, neque gigni potest corpus. Clarum ergo, quod neque locus, neque vacuum, neque tempus, est extra. Atque ideo neque in loco ea quæ ibi sunt, nata sunt esse. Neque, tempus ea facit senescere. Neque est ullius ulla mutatio, eorum, quæ supra extimam lationem sunt ordinata. Sed inalterata, et sine passione, optimam habentia vitam, et sufficientissimam degunt per totum æona.”

Nam si extra cœlum, non est tempus: ea tamen vitam degunt toto æone, proculdubio, æon, et tempus, non sunt idem. Cum alterum ibi non sit, alterum vero sit ibi. Quæ res ita est per se clara, ut quamvis eam mox sibi contradicens, ibidem confundat Aristoteles, rem tamen suam non iuvat, et inconstantiam suæ doctrinæ prodit. Et Alexander eius interpres, ut creditur summus in eo loco exponendo, stultescere videtur. Nam illud (extimam lationem) exponit, pro recto elementorum motu, ad quos extima sit luna. Cum tamen Aristoteles ibi quæstiones satis longam, et manifestam replicet. De iis quæ supra supremum cœlum non sunt, nec corpus, nec locus, nec tempus, at supra Lunam, et corpora multa sunt, et Loca, et Tempus in eorum motibus creatur. Sed stultitiam stultis nimium iuratis relinquamus.

Cum autem supra extimum cœlum, Aristoteli nullum corpus sit, sed ea quæ ibi esse, nescius est vaticinatus, incorporea sint, vere dictum est, ea ob tempus non senescere. Tempus enim eo non ascendit. Neque eis ulla est mutatio, sed inalterata, et impassibilia optimam vitam, toto æone degunt. Æon autem Græcis uti diximus, ob nomen hac in re inopiam, quatuor illa significat, quæ Latinis sunt ævum, seculum, æternitas, sempiternitas. Quorum tria, nobis pro rerum quæ ibi sunt triplicis naturæ diversa, singulis singula placuit accommodare quartum, seculum tribus est, et etiam tempori longo, commune. Nempe ut æon sit, duratio, ac permanentia. Mentium creaturarum de quibus mox. Æternitatis autem nomen proprium tribuimus primo, ac secundo intellectui. Sempiternitatem vero primo omnium principio, assignamus, tamquam supremæ, et æternitatis, et æonis est seculorum, et temporis causæ. Nam æon dicitur ἀεὶ ὄν, hoc autem nomen ὄν ens, nullo modo primæ causæ competit. Est ergo supra omnes ens, supra omnem æona. Quorum omnium sit genus, veluti generalissimum μωνή, Mansio, seu manentia. Cuius quasi subalternum genus διαμωνή permanentia sit, quam Hermes æonis, actionem esse dixit, sitque etiam tempori communis. Sed hac differentia, ut æon dicatur perpetua μωνή, καὶ διαμωνή, manentia, et permanentia Tempus autem quod duratio corporum est, an et ipsum perpetuo esse possit, commodiore loco discutietur. Nunc rem præferentem prosequamur. His ita terminatis. Quid ad quæstiones respondemus? Hoc sane modo. Deus pater, si recte est a nobis ei sempiternitas tributa, habuit entia, et non entia in sempiternitate, et adhuc habet. Quæ vero in Filium deduxit, quia ipso sui esse, ἀπὸ τῶ ἐστὶν deduxit, non in tempore, sed in sempiternitate esse deducta dicimus. Quæ vero Filius in Spiritum effudit, ea asserimus in æternitate esse effusa. Creationem autem separaturum mentium, quia a toto profundo sunt procreatæ, et in sempiternitate, prout